

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXII. Qualiter se homo ad sancta commionem praeparet.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Christi passionis, quasi colore roseo, vultum suum decorare.

CAPUT XXII.

QUALITER SE HOMO AD SANCTAM COMMUNIONEM PRÆPARET.

ALIA vice cum esset communicatura, dixit ad Dominum : « Eia dulcissime Deus, doce me qualiter me præparem ad tui venerandi corporis et sanguinis imperiale convivium. » Ad quod Dominus respondit : « Quid fecerunt discipuli mei, quos misi ante faciem meam præparare Pascha, cum ante passionem cum ipsis eram cœnaturus ? » Statimque visum est sibi quasi esset in domo miræ magnitudinis, in qua mensa erat aurea, et mensale desuper positum, eratque referta diversis vasorum generibus. Et ait Dominus : « Hæc domus amplitudinem immensæ largitatis meæ designat, quæ omnes ad se venientes liberaliter suscipit et ovanter. Qui igitur voluerit communicare, ad largitatis meæ confugiat clementiam, et ipsa eum velut mater benignissime suscipiens, a malis proteget universis. Mensa est amor, ad quem communicaturus securum debet habere accessum, qui omnem animæ inopiam ex participatione et communionem omnium bonorum copiose ditabit. Mensale est pietas mea, quæ sicut mensale tractabilis est et lenis, et valde ad hominem inclinata. Ad hanc etiam homo securum habebit confugium, quia recordatio suavitatis meæ et pietatis homini ad obtinendum omnia saluti suæ necessaria reddet ausum. »

Supra mensam visus est agnus nive candidior, qui ut pede suo tetigit vasa, mox diversis cibis et poculis replebantur. Hic agnus Christus erat, qui solus animæ cibus est et refec-

Ad Dei
pietatem
confugiat
communica-
turus.

Misericordia
et charitas
ad mensam
Christi
ministrant.

tio vera. In hac domo erant duæ virgines pulcherrimæ ministrantes, misericordia videlicet et charitas. Misericordia erat janitrix, quæ omnes advenientes benigne intromittens, ad mensam illam ponebat. Charitas vero discumbentibus ministrabat, eratque omnium illuc venientium largiflua propinatrix.

CAPUT XXIII.

QUALI DESIDERIO HOMO AD SANCTAM COMMUNIONEM DOMINI
ACCEDAT.

ITEM cum signum poneret communicatura, dixit ad Dominum : « Scribe, dulcissime Domine, nomen meum in Cor tuum, nomenque tuum mellifluum cordi meo per jugem memoriam inscribe. » Ad quam Dominus dixit : « Dum vis communicare, tali intentione me suscipias ac si omne desiderium et omnem amorem quo unquam humanum cor flagravat haberes, sicque in altissimo amore, quo possibile est humanum cor affici, ad me accedas, egoque amorem illum in te suscipiam, non prout est in te, sed velut si talis ac tantus esset, quantus tu eum esse volebas. »

DE SEPTEM GEMMIS PRETIOSIS.

ALIA vice cum idem signum poneret, dixit : « Scribe, Domine, nomen meum in Cor tuum. » Statim visus est ei Dominus quasi habere litteras aureas, septem gemmis ornatas in pectore suo ; viditque litteram primam nominis sui, et agnovit ejus significationem. Deinde requirens nomina